

J. Wang, pré-agrégatifs avancés, 2019-2020

À rendre pour le mardi 15 octobre 2019

Version latine n°2 : hygiène de vie à l'usage du parfait agrégatif

Detrimentum iam dies sensit ; resiliit aliquantum, ita tamen ut liberale adhuc spatium sit si quis cum ipso, ut ita dicam, die surgat. Officiosior meliorque si quis illum exspectat et lucem primam excipit : turpis, qui alto sole semisomnus iacet, cuius uigilia medio die incipit ; et adhuc multis hoc antelucanum est.

[Sunt qui officia lucis noctisque peruerterint nec ante diducant oculos hesterna graues crapula quam adpetere nox coepit. Qualis illorum condicio dicitur, quos natura, ut ait Vergilius, sedibus nostris subditos e contrario posuit « nosque ubi primus equis oriens adflauit anhelis, illis sera rubens accendit lumina uesper » talis horum contraria omnibus non regio, sed uita est. Sunt quidam in eadem urbe antipodes, qui, ut M. Cato ait, nec orientem umquam solem uiderunt nec occidentem. Hos tu existimas scire, quemadmodum uiuendum sit, qui nesciunt, quando ? et hi mortem timent, in quam se uiui condiderunt ? Tam infausti ominis quam nocturnae aues sunt. Licet in uino unguentoque tenebras suas exigant, licet epulis et quidem in multa fericula discoctis totum peruersae uigiliae tempus educant, non conuiuantur, sed iusta sibi faciunt. Mortuis certe interdiu parentatur. At mehercules nullus agenti dies longus est. Extendamus uitam : huius et officium et argumentum actus est. Circumscribatur nox, et aliquid ex illa in diem transferatur. Aues, quae conuiuiis comparantur, ut innotae facile pinguescant, in obscuro continentur; ita sine ulla exercitatione iacentibus tumor pigrum corpus inuadit, et superba umbra iners sagina subcrescit. At istorum corpora, qui se tenebris dicauerunt, foeda uisuntur, quippe suspectior illis quam morbo pallentibus color est, languidi et euanidi albescent, et in uiuis caro morticina est.]

Hoc tamen minimum in illis malorum dixerim ; quanto plus tenebrarum in animo est ! Ille in se stupet, ille caligat, inuidet caecis. Quis umquam oculos tenebrarum causa habuit ? Interrogas, quomodo haec animo prauitas fiat auersandi diem et totam uitam in noctem transferendi ? Omnia uitia contra naturam pugnant, omnia debitum ordinem deserunt. Hoc est luxuriae propositum, gaudere peruersis nec tantum discedere a recto, sed quam longissime abire, deinde etiam e contrario stare.

Sénèque